

sequitur, si verum est, ipsam rationem sacrificii in consecratione consistere. In omni tamen sententia existimo, hoc esse certum, consecrationem non esse separandam a sacrificio, sive dicamus ipsam esse sacrificium, sive in illa inchoari, vel per illam proxime operari sacrificium, quod satis etiam docet traditio Ecclesiae, quae colligi potest tum ex multis, quae congeruntur, de Consecr., d. 2, tum etiam ex usu; inauditum enim est, aliter confectum esse hoc sacramentum, quam offerendo sacrificium Deo, nisi fortasse inter haereticos, seu Calvinistas. Ratio vero a priori est voluntas Christi instituentis explicata et intellecta ab Ecclesia in illis verbis: *Hoc facite*, ut latius tractabitur infra in materia de sacrificio, ubi rationes et congruentias hujus institutionis afferemus. Errant igitur, qui in praesenti quaestione distinguunt, dicentes, sacrificando non posse confici unam materiam sine alia, ne mutilum sit sacrificium in una tantum specie; tamen simpliciter conficiendo sacramentum extra sacrificium propter alium usum ipsius sacramenti, non esse jure divino prohibitum consecrare unam materiam sine alia; supponit enim haec distinctio dari alium modum conficiendi hoc sacramentum, quam sacrificando, quod erroneum est.

6. *Conclusio secunda.* — Secundo censeo, ex divina institutione, utramque speciem seu partem materiae esse de integritate hujus sacrificii substantiali. Ita censent Theologi omnes, et videtur traditione haberi, quae partim ex usu colligitur, partim ex decretis Conciliorum, Toletani VII, cap. 2, Tolet. XI, c. 14, in c. Illud, et cap. Nihil, 7, q. 1, quibus providetur, ut in omni eventu consecratio integre perficiatur, etiam si necessarium sit, ut unus minister perficiat, quod alter inchoavit. Et de Consecr., dist. 2, per duodecim prima capita hoc aperte traditur, tanquam a Christo institutum. Idem colligitur ex Conc. Trident., sess. 22, in principio, cujus verba statim referam. Ratio vero seu congruentia est, quia hoc sacrificium est unica quaedam et expressa representatio sacrificii cruenti; haec autem non fit in una vel altera specie, sed in utraque simul, ut recte D. Thom. dixit; illa enim representatio, quae dicitur fieri per unam tantum speciem, solum est implicita, et quasi ex discursu intelligentis; integra vero et expressa representatio, non fit, nisi per consecrationem utriusque speciei, quia sicut illud sacrificium perfectum non fuit sine effusione sanguinis, ita neque hoc erit inte-

grum et perfectum, nisi sacramentaliter in eo sanguis effundatur, id est, separatim a corpore consecratur; et e contrario sicut ibi non fuit sanguis effusus, nisi a corpore, nec sacrificium perfectum fuit, nisi per mortem corporis, ita neque hoc perfici potest sine corporis consecratione, et oblatione. Denique in sacrificio visibili integro et perfecto, nec solum corpus, nec solus sanguis Christi, sed utrumque offerendum est; hoc autem non fit, per se loquendo, nisi per utriusque speciei consecrationem, nam quod totus Christus sub singulis speciebus contineatur, quasi accidentarium est; institutio autem respicit quod est per se. Tandem a posteriori hoc explicatur, quia effectus respondens sacrificio, ut sic, ex opere operato non confertur, donec utraque species consecrata sit, quia sicut nostra redemptio non fuit consummata, nisi in morte Christi, ita verisimile est, non applicari effectum ejus per hoc sacrificium, donec in esse representativo in eo perfecta sit passio, in quo differt effectus sacrificii ab effectu sacramenti, nam effectus sacramenti datur, quam primum sumitur quaelibet species; signum ergo est, sacrificium non esse integrum sine utriusque speciei consecratione. Est ergo ex institutione divina utraque species necessaria ad sacrificii integritatem.

7. *Conclusio tertia.* — Tertio ex his concludo et assero de jure divino praecipuum esse, ut hoc sacramentum non conficiatur in una materia sine alia. Haec conclusio sequitur aperte ex praecedenti, et confirmari potest ex Concil. Trident., sess. 21, cap. 1, dicente, laicos et clericos non conficientes non obligari ad utramque speciem sumendam, indicans, clericos conficientes ad hoc teneri ex divino jure. Clarius, sess. 23, in princip., dicit, Christum Dominum in nocte coenae corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini Patri suo obtulisse, et Apostolis, eorumque in sacerdotio successoribus, ut offerrent, praecipuisse; et can. 2, dicit, Christum illis verbis: *Hoc facite*, instituisse Apostolos sacerdotes, et ordinasse, ut ipsi, alique sacerdotes offerrent corpus, et sanguinem suum; et hoc ibidem indicatur in omnibus decretis supra citatis; docent enim necessarium esse, sub utraque specie conficere, non denuo praecipiendo, sed potius explicando id, quod per se et ex jure divino necessarium erat. Cujus etiam signum est, nam semper haec obligatio praefertur omnibus aliis, quae sunt de jure humano, ut obligationi communicandi ante

eibum et potum, aut non conficiendi vel communicandi bis eodem die, etc. A posteriori etiam est apud me efficax argumentum, quia alias, stando in solo jure divino, voluntarium esset, unam vel alteram, vel utramque speciem conficere; unde non esset malum, etiam sine urgente causa, unam tantum speciem consecrare; consequens autem a nullo Doctore Catholico conceditur; sequela vero patet, quia si de hac re non est praecipuum divinum, per se non erit malum, uno vel alio modo conficere. Unde confirmatur secundo, quia, secluso hoc praecipuum, non posset ostendi obligatio, stando in solo jure divino, consecrandi unquam sanguinem sub speciebus vini, sed posset Ecclesia facere, ut vel nunquam, vel rarissime conficerent sacerdotes, nisi in solo pane, quod etiam est evidenter falsum, et absurdum. Ratio vero a priori est supra tacta, quia de jure divino et naturali est, ut sacrificium offeratur Deo integrum et perfectum; sed haec integritas posita est ex institutione divina in utriusque speciei consecratione; ergo, cum hoc sacramentum confici non possit, nisi in hoc sacrificio, ex jure divino necessarium est, ut sine utraque specie non conficiatur.

8. *Solvuntur fundamenta contrariae opinionis.* — *Primum.* — Ad fundamentum ergo contrariae sententiae respondetur, hoc praecipuum intrinsece contentum esse in institutione hujus sacrificii et sacramenti; haec autem institutio ex factis et verbis Christi colligenda est, non utcumque illa considerando, sed contemplando etiam materiam subjectam, et adjuncta praecipue traditione et intelligentia Ecclesiae. Unde ad priorem partem circa Christi facta respondetur, verum esse, non omnes circumstantias accidentarias, quae in ea coena contigerunt, esse praecipuas; nihilominus tamen substantiam et integritatem sacrificii praecipuum esse; haec autem, ut dixi, partim ex ipsis rebus, partim ex traditione discernenda sunt. Ad aliud autem factum Christi in castello Emaus, si tunc vere consecravit panem, dicendum est, vel etiam consecrasset vinum, quamvis illius mentio non fiat, vel usum esse potestate excellentiae. Probabilius autem est non consecrasset, ut Carthus., Jansenius, et alii docent; non est enim verisimile communicasse discipulos, non satis dispositos, nec in fide constantes. Item, quia ibi nulla fit mentio consecrationis, neque est signum ejus. Unde Euseb. Emiss., homil. in feriam 2 Paschae, dicit, tunc Christum fecisse

solum id, quod facere solebat, cum inter discipulos suos versabatur. Addit vero D. Thom. in 3, dist. 21, quaest. 2, art. 4, quaestiuic. 1, ad 3; et Alens., 3 part., quaest. 22, memb. 2, art. 1, in fine; et Lyr. in Lucam, Christum fregisse panem manibus, ac si cultello incidisset, quod non tam affirmant, quam ab aliis dici testantur; est enim res incerta. August. vero in citatis locis non agit aperte de consecratione, sed de quadam significatione; dicit enim illo facto significatum esse a Christo, eos illuminari a Deo, qui in unitate Ecclesiae permanent. Et idem potest dici ad Chrysostomum, quamvis illud opus Chrysostomi non est. Ad aliam partem de illis: *Hoc facite*, respondetur, jam ex dictis constare, unde colligendum sit, quid per illa sit praecipuum; et fortasse semel tantum sunt a Christo dicta, licet a Luca per anticipationem posita sint, ante narratam consecrationem vini. Quia tamen Paulus bis illa refert, dici potest nihilominus, unicum latum esse praecipuum conficiendi utramque speciem, quod paulatim, et quasi per partes explicatum est.

9. *Solvitur secundum fundamentum.* — Ad ultimam rationem negatur esse eandem rationem de sumptione in una specie, quia hoc sacramentum non consistit in usu, et ideo necesse non est, ut utraque species sumatur, praesertim cum sub singulis totus Christus accipiatur; at vero sacrificium consistit in ipsa consecratione, et ideo ejus integritas requirit, ut utraque species conficiatur, et eadem ratione non potest una species sine alia confici, licet possit una sine alia conservari, quod etiam ad reverentiam et dignitatem hujus sacramenti pertinet, ut saltem cum fit, integram et expressam representationem habeat.

## SECTIO IV.

Utrum sit ita necessaria utraque materia, ut propter nullam causam liceat in altera sola conficere, etiam ex dispensatione Pontificis.

1. Quatuor invenio esse posse sententias de hac re. Prima affirmat posse interdum licere, absque dispensatione vel auctoritate superioris, interpretando praecipuum supra dictum in aliquo eventu non obligare. Ita Adrianus praecedenti dubio citatus, qui refert Alensem; idem Major, dist. 9, quaest. 3, ad 5; nec multum dissentit Palud., dist. 11, q. 1, num. 8. Quae sententia duobus modis potest explicari et fundari. Primo, quia interdum hoc praecipuum conficiendi in duplici specie

potest concurrere cum alio, vel divino, vel humano, ita ut utrumque simul servari non possit, v. gr., cum præcepto communicandi in articulo mortis; ergo in eo casu, vel erit liberum unum potius, quam alterum observare, vel certe, pro materiæ qualitate, poterit aliquis prudenter interpretari, aliud potius, quam hoc esse servandum, id est, potius esse consecrandum in una specie, quam communionem in articulo mortis omittendam. Secundo potest hoc contingere si interpretemur præceptum hoc, quod affirmativum est, si in aliquo casu servari non possit sine periculo mortis, vel alio gravi, pro tunc non obligare; hoc enim, non solum in humanis, sed etiam in divinis præceptis interdum contingit. Sit exemplum in præcepto de integritate confessionis, quod sine dubio divinum est, et tamen interdum licet interpretari prudenter, in aliquo eventu non obligare propter gravem causam; similiter satisfactio est pars requisita ad integritatem sacramenti penitentiae; et nihilominus potest interdum omitti propter gravem causam.

2. *Secunda opinio.* — Secunda sententia est, auctoritate privata nunquam hoc licere, quia est res gravissima, tamen auctoritate Ecclesiae et ex dispensatione Pontificis hoc posse interdum fieri ex publica et gravissima causa. Refertur pro hac sententia Albertus Magnus., lib. de Corpore Domini. Tenet Gabr., lect. 53 in can., dub. 3; Alanus, lib. 2 de Eucharistia, c. 20, qui tribuit Alensi; tenet etiam Claudius, repet. 40, cap. 3; Angel., Eucharistia, 4, num. 20. Denique omnes, qui dicunt hoc esse præceptum humanum, consequenter hoc sunt opinaturi; sequitur enim evidenter; imo etiam sequitur, quamvis dispensatio sine sufficienti causa concedatur, nihilominus validam esse. At vero, si supponamus, præceptum esse divinum, ut dispensatio facta teneat, ut minimum necessaria erit in hac sententia causa gravis et sufficiens. Quod autem, illa existente, sit in Ecclesia potestas ad dispensandum, fundari potest, nam quamvis ea, quæ pertinent ad substantiam sacramentorum, immutabilia sint, tamen quæ pertinent ad usum, Ecclesiae dispensationi sunt commissa, ut ea dispenset, prout ad Ecclesiae bonum expedire judicaverit; hoc enim necessarium fuit, quia pro diversitate temporum et rerum varietate non eadem semper expediunt. Et ita videtur colligi ex Concilio Constantiensi, sess. 13, et ex Tridentino, sess. 21, cap. 2; sed hæc dispensatio non esset circa substan-

tiam materiæ, sed circa usum: ergo, etc. Et confirmatur primo, nam sæpe hoc modo dispensat Ecclesia in jure divino, primo, in voto; secundo, in matrimonio rato; tertio, in præsentia materia, quamvis de jure divino sit, ut sacerdos conficiens sumat utramque speciem, tamen Ecclesia hoc interdum immutat, ut patet in ordinatione sacerdotum; tunc enim consecrant, et non sumunt, nisi unam speciem. Quarto etiam est de jure divino communicare in articulo mortis, et tamen interdum Ecclesia negat communionem propter justam causam. Quinto addere possumus, in sacramento confirmationis, de jure divino esse, ut conferatur ab Episcopo, et tamen Pontifex interdum dispensat, ut simplex sacerdos sit minister. Confirmatur secundo, quia Volaterran., lib. 7 Geographiae, cap. de Saxonibus, refert Innocentium VIII hanc dispensationem illi genti concessisse; et Onuphrius in chronico anni 1490, idem refert; sunt etiam qui asserant Innocentium IV dispensasse cum Norvegiis, quia in ea regione, propter nimiam frigiditatem, vinum non conservatur, sed statim acescit, ut in solo pane possent consecrare. Existimo tamen lapsos esse, qui hoc referunt, quia de Innocentio IV nihil hujusmodi in historiis habetur; decepti ergo sunt in numero et nomine Pontificis.

3. *Tertia opinio.* — *Objectio.* — *Solutio.* — Tertia sententia esse potest, quæ cum præcedenti consentiat, hoc non posse fieri auctoritate privata, sed Pontificia, non tamen dispensante, quia Papa non potest dispensare in jure divino, sed interpretante tale jus divinum, occurrentibus talibus circumstantiis, non obligare; habet enim Pontifex in Ecclesia summam auctoritatem ad interpretandum divinum jus, et fuit hæc potestas necessaria, propter humanarum rerum varietatem. Dices, hanc interpretationem non esse actum jurisdictionis, sed jurisprudentiæ, vel doctrinæ; ergo sicut licet Pontifici, licebit etiam hominibus doctis, obligationem divini præcepti ita interpretari, præsertim si secludamus humanam prohibitionem; fatemur enim posse Pontificem interpretationem hanc sibi reservare. Responderi potest ex D. Thom., 2. 2, q. 120, art. 1, ad 3, interpretationem legis in casu dubio ad principem pertinere, præsertim si causa sit gravis et publica; hæc autem omnia concurrunt in præsentia causa.

4. *Quarta opinio.* — Quarta sententia est quæ absolute et simpliciter negat, hoc esse unquam licitum, tam privata, quam publica

auctoritate, tam per modum dispensationis, quam interpretationis, et hæc existimatur esse opinio D. Thom. et antiquorum; quam illi expresse hoc non dicant, sed solum simpliciter negent licere, nulla facta exceptione. Tenet expresse Sylvest. supra, et inclinatur Sotus, dist. 9, quæst. 4, art. 4 in fine, et fere alii, qui sentiunt hanc esse institutionem divinam; Summa etiam Armillæ, verb. Eucharistia, num. 40, dicit, Alexandrum VI voluisse dispensare, et fuisse declaratum non posse; tamen hic auctor solum dicit, Papam non posse dispensare, ut sine vino conficiatur, quod intelligit de calice, ita ut conficiatur in aqua vel in aliquo liquore, quia in essentialibus sacramentorum, ut recte dicit, non potest Papa dispensare; statim vero refert opinionem asserentem, posse Papam dispensare, ut corpus tantum conficiatur, ubi non reperitur vinum, quam solum dicit esse dubiam.

5. Ut ergo, quid in hac questione probabile videatur, explicemus, suppono, aliud esse formaliter et quasi per se et ex directa intentione conficere in una tantum specie; aliud vero quasi materialiter et per accidens de facto consecrare unam speciem sine alia. Primum enim requirit, ut sacerdos sciens et videns et ex directa intentione velit conficere in una tantum specie. Secundum autem proprie accidit, quando sacerdos bona intentione cogitat in utraque specie conficere, et ex accidenti evenit, ut post consecratam speciem panis, vel non possit, vel de facto aliam speciem non conficiat.

6. *Prima conclusio.* — *Probatio.* — *Confirmatur.* — *Objectiones.* — *Solutiones.* — Dico ergo primo, interdum accidere posse, ut sine ullo peccato in una tantum specie conficiatur hoc sacramentum, non propter dispensationem vel interpretationem præcepti, sed propter impotentiam physicam vel moralem implendi illud. Hoc per se constat, quia ex ignorantia imprimis, vel inadvertentia inculpabili accidere interdum potest, ut aliquis non ponat vinum in calice, sed aquam, atque ita consecret solam materiam panis, et quamvis, quamprimum advertit defectum, debeat illum supplere, fieri tamen interdum potest, ut hoc non advertat, nisi post transactam tanti temporis moram, ut jam non possit moraliter prius sacrificium perfici. Deinde accidere potest casus, in quo, postquam sacerdos deprehendit non esse vinum in calice, non reperitur aliud vinum, vel certe ut non pos-

sit quæri sine magno scandalo, aut sine evidenti periculo vitæ; tunc enim non obligabitur cum tanto detrimento ad quærendum illud, quia non est verisimile, præceptum hoc obligare cum tanto discrimine, præsertim quia in illo casu, formaliter et humano modo loquendo, ille sacerdos non consecrat in una specie, sed permittit, unam speciem solum manere consecratam, et omittit aliam, quia moraliter non potest illam habere. Et confirmatur a simili, nam sicut tenetur utramque speciem conficere, ita et sumere in sacrificio; sed ex sententia omnium, si post consecrationem calicis intelligit in eo esse vinum mortiferum, non tenetur illud sumere, etiamsi fortasse non possit aliud vinum consecrare; ergo pari ratione, si in dicto casu non potest quærire vinum, sine periculo vitæ, vel sine gravi scandalo (quod non est minoris momenti), non tenebitur quærerè. Dices: ergo si post consecratam hostiam immineret sacerdoti evidens periculum mortis, si detineretur consecrando calicem, posset sine culpa omittere, et consumere hostiam, ac fugere. Respondetur concedendo id fieri posse, atque hunc esse secundum casum; in quo verum habet conclusio propter rationes factas, scilicet, quia non est verisimile, obligare hoc præceptum cum tanto discrimine, et quia illa potius est permissio, quam commissio. Hoc autem intelligendum est per se, et ex vi hujus præcepti, id est, si aliunde non sequatur scandalum, vel contemptus nostræ religionis, quia tunc posset quidem teneri sacerdos ad consummandum sacrificium, non tam ex præcepto integritatis sacramenti, quam ex præcepto confitendi fidem et vitandi scandalum. Sed urgebis: ergo si aliquis comminetur mortem sacerdoti, nisi consecret speciem panis ad communicandum infirmum, absque specie vini, quia vel non reperitur, vel necessitas instat, poterit sacerdos hoc facere sine peccato ad evitandam mortem. Respondetur, negando consequentiam, quia in hoc casu jam directe committeret contra præceptum divinum, et quamvis metu mortis, tamen formaliter intenderet mutilum sacrificium facere, quod intrinsece malum est, et contra præceptum negativum; tamen in aliis casibus solum est vel ommissio cujusdam præcepti, quod pro eo articulo censetur non obligare, vel etiam permissio, quod sacrificium inchoatum relinquatur, quæ non est intrinsece mala. Alio denique modo accidere posset, unam materiam tantum consecrari, si minister statim post consecrationem

panis, vel loquelam amitteret, vel iudicium, sensum, aut vitam. Et in his casibus iure statutum est, ut per alium sacerdotem sacrificium perficiatur, quod jus non constat esse divinum, sed humanum, et sæpe accidere potest, ut hoc ipsum servari non possit.

7. *Secunda conclusio.* — *Dupliciter confirmatur.* — Dico secundo, formaliter et directe nunquam licere sacerdoti conficere unam speciem sine alia, absque dispensatione Pontificis, etiamsi quævis causa gravissima interveniat. In hac conclusione conveniunt fere omnes auctores citati, paucis exceptis, quorum opinio, quod ad hunc punctum attinet, non est practice probabilis, non solum tenendo hoc esse præceptum divinum, sed etiamsi existimetur esse ecclesiasticum. Et primo, quod hoc non liceat propter privatam aliquam causam, ut, v. gr., ne aliquis sine viatico moriatur, constat, quia hæc res est gravissima, et ad debitum Dei cultum et sacramenti reverentiam spectans, et ideo non est tam facile immutanda propria auctoritate. Et confirmatur primo, quia in illo casu non urget spiritualis necessitas proximi, quia per confessionem, vel alia sacramenta potest illi subveniri, et ipse sua devotione et desiderio poterit utrumque Eucharistiæ defectum compensare. Neque etiam urget necessitas præcepti divini, quia hoc est affirmativum, quod non obligat, nisi habita copia sacramenti; in eo autem casu, moraliter loquendo, non est huiusmodi copia, præsertim, quia hoc præceptum per se obligat eum, qui suscepturus est sacramentum, non vero obligat ministrum ad conficiendum, nisi hæc obligatio aliunde oriatur ex iustitia vel charitate; non obligatur autem minister ex vi harum virtutum ad immutandum debitum consecrandi modum, solum ut subveniat privatæ personæ indigenti; imo neque id licite facere potest, quia majoris momenti est integritas sacrificii, et reverentia sacramenti, et conformitas cum universali Ecclesiæ consuetudine, quam illa privata necessitas unius personæ. Quod si fingamus, eundem, qui consecraturus est, communicatum esse in articulo necessitatis, in eo distinguenda est duplex illa ratio præcepti, et eodem modo excusabitur. Et confirmatur secundo, quia in aliis præceptis ecclesiasticis, quæ non videntur tanti ponderis, est communis sententia Theologorum, ut infra videbimus, non posse prætermitti propter privatas necessitates, ut, v. gr., propter communicandum ægrotum extreme indigentem, non licere

conficere sine vestibus sacris, neque post sumptum cibum, aut potum; ergo multo minus hoc licebit facere, omittendo consecrationem alterius speciei, quæ est res multo gravior. Unde evidentiùs fit, hoc multo minus licere, si hoc est præceptum juris divini, ut revera est. Denique multum refert ad cultum Dei et reverentiam huius sacramenti, ut non detur licentia hæc privatis hominibus, eorumque arbitrio ac prudentiæ relinquatur, quia erit evidens moralis occasio sæpius mutilandi hoc sacrificium cum maxima irreverentia et injuria tanti mysterii.

8. *Secunda probatio.* — Secundo, quod nec propter causam communem et publicam hoc liceat, probatur, quia non licet in Ecclesia introducere novum et inusitatum ritum conficiendi aliquod sacramentum sine publica Ecclesiæ, aut Summi Pontificis auctoritate, aut universalis Concilii, quod firmum esse non potest sine Pontificis auctoritate. Sed, si propter aliquam communem causam alicujus regionis vel provinciæ, liceret consecrare unam tantum speciem, oporteret id fieri frequenti, publico, ac stabili ritu; ergo non potest hoc licere sine auctoritate Pontificis. Minor per se constat, quia nisi ita fieret, non subveniretur illi communi causæ et necessitati. Unde, si privatim, vel raro fieret, jam non publica causa, sed privata inspiceretur. Et idem esset, si non semper nec frequenter, sed aliquando et raro, in tota civitate vel provincia deesset vinum; nam illa non esset censenda publica causa, sed potius privata occasio. Major vero constat, tum ex juribus supracitatis, et aliis omnibus, quæ de hac materia loquuntur; tum etiam quia alioqui sequi posset magna confusio in Ecclesia et schismata introduci; et hæc conclusio evidentior fiet ex sequente.

9. *Tertia conclusio cujus prima pars probatur.* — Dico ergo tertio: licet probabile sit, posse Pontificem in hoc negotio ex publica et communi causa dispensare, tutius tamen et verius existimo, non posse. Priorem partem probat auctoritas plurium Doctorum, quæ satis est, ut rem faciat probabilem, præsertim cum probabilibus rationibus et conjecturis utantur. Dico autem propter communem causam, quia propter privatam non existimo id esse probabile, quia nullus gravis auctor hoc dicit, neque unquam in Ecclesia factum est, nec potest ulla ratione probabili ostendi id fieri posse, ut ex dictis facile colligi potest, et magis ex dicendis constabit; quare si aliter

fieret, non solum esset illicita dispensatio, sed etiam non teneret, quia esset contra divinum jus, et sine sufficienti causa.

10. *Secunda pars probatur.* — *Primo.* — Posterior pars probatur, primo destruendo fundamentum contrariæ sententiæ. Primo quidem, quia etiam si necessitatem alicujus regionis admittamus, tamen hoc sacramentum non est necessitatis, sed utilitatis, et ideo simpliciter majus bonum Ecclesiæ est, ut ritus sacrificandi Deo in tota Ecclesia sit unus et idem, perfectus, et integer, quam ut immutari possit, propter unius, vel alterius provinciæ utilitatem.

11. *Secundo.* — Deinde, sicut non est moraliter admittendum, regionem aliquam ita carere oleo, ut in illa non possit sacramentum extremæ unctionis ministrari, et propter hanc inopiam, necessariam esse aliquam dispensationem, ita non est, quod admittamus tantam vini penuriam in aliqua regione, ut non possit in ea integrum sacrificium confici, quia potest aliunde facile asportari, et licet non conservetur diu, potest sæpius ac frequentius portari. Ac denique, quamvis gratis demus, fieri posse, ut propter hanc causam sacrificium hoc minus frequenter alicubi conficiatur, minus inconveniens hoc esset, quam ritum sacrificandi immutare; ergo moraliter nunquam est necessaria, nec conveniens hæc dispensatio. Unde, cum potestas dispensandi moralis sit, et casus morales respiciat, non est cur propter casum speculativum potius, et confictum, quam moralem et verum, talem dispensandi facultatem admittamus.

12. *Tertio.* — Tertio hoc confirmat Ecclesiæ usus; per tot enim annos nunquam talis dispensatio necessaria, aut utilis existimata est, et nunc experimur in omnibus provinciis in quibus est fides, etiam si frigidissimæ sint, integre confici hoc sacramentum absque tali dispensatione. Illud vero quod de Innocent. VIII dicitur, mihi valde suspectum est, primum, quia si res vera esset, cum non sit admodum antiqua, extarent aliqua ejus vestigia, vel aliquis huiusmodi usus. Secundo, quia, cum eadem necessitas nunc esse possit in illis regionibus, si propter eam cum illis dispensatum fuisset, durante necessitate, duraret usus talis dispensationis; certum autem est, nullibi nunc esse talem usum. Tertio est simile argumentum, quia, sicut per mille et quadringentos annos, in regionibus illis perfectum est hoc sacramentum sine tali dispensatione, cum tempore Innocentii VIII nulla

causa occurrerit, non est, cur nova dispensatio in re tam gravi concessa existimetur. Quarto denique, verba Volaterrani præ se ferunt falsitatem, vel deceptionem; ait enim, Innocentium permisisse, sine vino calicem sacrificare, quæ est aperta repugnantia. Et quamvis Onuphrius abstulerit illam particulam, *calicem*, et simpliciter dixerit, permisisse sine vino sacrificare, non tamen propterea majorem facit fidem, quia ipse ex nullo alio, quam ex Volaterrano hoc refert. Unde licet referendi modum emendaverit, fidem tamen historiæ non auxit. Adde, hos auctores non dicere Pontificem dispensasse, sed permisisse; fieri itaque potuit, ut aliqui ausi fuerint hanc consuetudinem inchoare, et Pontifex dissimulaverit et permiserit, quia temporum occasio hoc postulabat.

13. *Quarto.* — Quarto, principalis ratio conclusionis est, quia Ecclesia non potest facere, ut vel hoc sacramentum conficiatur non offerendo sacrificium Deo, vel ut sacrificium non offeratur integrum, et perfectum ex omnibus, quæ ad illius substantiam et essentiam pertinent, cujusmodi est in hoc sacrificio, quod in pane et vino perficiatur. Prima pars ex dictis in præcedenti sectione patet, quia ex institutione divina hæc consecratio est sacrificatio; non potest autem Ecclesia divinam institutionem mutare, præsertim in modo conficiendi sacramenta, et offerendi Deo sacrificium. Secunda vero pars partim ratione naturali constat, quia ad reverentiam Dei spectat, ut ei non offeratur sacrificium mutilum et imperfectum; partim ex principiis fidei, quia non minus immutabilis, et conformis divinæ institutioni esse debet sacrificii confectio, quam sacramenti, cum utraque sit ex institutione divina; sicut in lege veteri non posset ulla ratione dispensari, ut immolatio agni fieret in vitulo, vel ex dimidia parte agni, vel sine aliis substantialibus conditionibus a Deo præscriptis; et in lege nova intrinsece malum esset inchoare sacramentum, ut imperfectum relinqueretur, et sine suo effectu.

14. *Quinto.* — Quinto potest hoc generali ratione probari, quia Ecclesia non potest dispensare in iis, quæ proprie sunt de jure divino, ut sentiunt Urban. et Zozimus Pontifices, in cap. Sunt quidam, et in cap. Contra statuta, 25, quæst. 4, et latius traditur in materia de legibus, quia inferior non potest, dispensare in lege lata a superiori. Et a posteriori sive ab inconvenienti confirmari potest, quia si semel admittamus hanc dispensatio-